

Peter Wasmund Levinus Battus

Disputatio Inauguralis De Possessione

Rostochi[i]: Pedanus, 1629


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731639219>

Druck Freier  Zugang



Besitz

Wasmandt-Battus. ^{Vert.}
R. U. Jun. 1630.



Disputatio Inauguralis
DE
POSSESSIONE

Quam,

BENIGNE ANNUENTE SS. TRINITATE,
DECRETO ET CONSENSU AMPLISSIMÆ FA-
cultatis Juridicæ in almâ Rosarum Academiâ,

PRÆSIDE

Viro Excellentissimo, Clarissimo, & Consultissimo,

DN. PETRO WASMUNDT,
J. U. D. Professore publico, Celeberrimo, DE-
CANO Spectabili, nec non Assessore Judicij Provincialis
Megapolitani dignissimo, Fautore, ac Patrono omni ob-
servantiâ colendo

Pro summo in utroq; jure con-
sequendo gradu

Publicæ censuræ & disquisitioni submittere

LEVINUS BATTUS Rostoch.

Ad diem ~~17~~ Decembris, 7. Januarii.



ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ. An. 1639.





DE POSSESSIONE

THESIS I.



Uod Ulpianus Jurisconsultus tradit in l. 1. ff. de In integr. Restitut. Utilitas hujus tituli non eget commendatione, ipse enim se ostendit: idem quoque ad intricatam hanc Possessionis materiam non incommodè applicari potest. Utilitas quoque hujus materix non eget commendatione, ipsa enim se ostendit: Maximæ siquidem sunt possessionis utilitates, & plurima possidendi commoda: Hinc aurea dicitur possessio, hinc gaudent possidentes, hinc beati possessores. Et quia longè commodius est possidere, quàm petere: ideo plerumque & ferè semper ingens existit contentio de ipsâ possessione §. retinendæ 4. instit. De interdicit. Immò tantùm operatur possessio, ut, etiam si ejus res non sit, qui possidet, si modò actor non potuerit suam esse probare, remaneat in suo loco possessio, propter quam causam cum obscura sunt utriusque jura, contra petitem judicari solet. d. §. retinendæ 4. cum possessor Dominus præsumatur l. possessiones 2. C. de probation. l. sicut 8. §. sed si queritur 3. ff. si servit. vindicet. l. 1. §. dominiumque 1. ff. h. r. §. ex his itaque apparet. 5. v. & per hanc possessionem etiam dominium inst. per quas person. cuique acquirir. d. §. retinendæ 4. & ab omni probationis

bationis onere liberetur d. §. retinendæ d. l. 2. C. de probat.
l. 16. C. Eod. l. 14. ff. Eod. Unde & titulum possessionis suæ
allegare & probare non cogitur l. cogi 11. C. de petit. here-
ditat. l. qui accusare 4. C. de edendo l. 1. C. Eod. l. nimis grave
7. C. de testibus. Quin etiam omnibus illis, qui aliquod
impedimentum possessioni struunt, resistere potest im-
punè l. sed si inter me 27. pr. ff. De S. P. V. l. quemadmodum
29. §. si protectum. 1. ff. Ad l. Aquil. Nec privari absq̃ cau-
sæ cognitione possessione suâ potest invitus, ne injustâ
quidem l. res alienas fin. C. de R. V. l. si quis in tantam. 70.
C. unde vi l. extat 13. ff. quod metus caus. gest. erit.

II.

Possessio autem appellata est (ut Labeo ait) à sedi-
bus, quasi positio : l. possessio 1. pr. ff. de adquir. vel amit-
tend. posses.

III.

Definitur rei corporalis detentio cum animo possi-
dendi d. pr. l. 1. l. possideri 3. §. & apiscimur. 1. l. quemadmo-
dum 8. ff. h. t. l. ferè 153. ff. de R. J.

IV.

Dividitur in possessionem justam & injustam l. possi-
deri. 3. §. ex contrario. 5. ff. hic l. justa enim an injusta 2. l. 3.
pr. ff. uti possidet. Item in possessionem bonæ fidei &
malæ fidei, d. l. 3. §. veletiam pen. Ut & in possessio-
nem naturalem & civilem, l. 3. §. fin. ff. Ad exhibend. l. 2. §.
quod vulgò 1. ff. Pro herede. l. 1. §. deicitur. 9. ff. de vi & de vi
armat. l. stipulario ista 38. §. hæc quoq̃ 7. ff. de V. O.

V.

Justa possessio est, quandò quis rem ex justâ aliquâ
causâ possidet. Et semper justè possidere intelligitur,
qui

qui auctore Pratore possidet, *l. iuste possidet 11. ff. h. t.*
l. qui auctore 137. l. non videntur 167. §. qui jussu 1. ff. de R. J.
Injusta possessio, quando quis rem ex causâ aliquâ inju-
stâ detinet, ut si quis vi, clam, vel precario possideat, *l. 1.*
§. fin. junct. l. 2. ff. Uti possidet. l. nemo 22. ff. de acquir. rer.
domin. Hoc amplius si ex stipulatione aut venditione
rem tibi debeam & non tradam eam, tu autem absq̃ vo-
luntate meâ nactus fueris possessionem, injustè possides
l. si ex stipulatione 5. l. fundi venditor 33. ff. h. t. Justa vero
an injusta sit possessio, initium possessionis considerari
debet: quale est enim initium possessionis, sive justum,
sive injustum, talis & possessio est. Ideoq̃ qui initio non
clam possedit, non ideò postea clam possidere intelli-
gitur, quod cognoverit rem esse alienam, & se celaverit.
Et è converso, qui clam coepit possidere initio, si postea
certiorem dominum fecerit, non purgat vitium, neq̃
clam possidere desinit, sed semper clam possidere cen-
setur: non enim ratio obtinendæ possessionis, sed origo
nanciscendæ exquirenda est *l. clam possidere 6. pr. l. si de*
eo. 40. §. servum 2. ff. h. t.

VI.

Possessio bonæ fidei dicitur, quando quis habet
ignorantiam rei alienæ, vel putat alienantem jus alie-
nandi habere, puta procuratorem aut tutorem esse. Pos-
sessio malæ fidei, quando quis habet scientiam rei alic-
næ, vel credit alienantem jus alienandi non habere.
l. bonæ fidei emptor 109. ff. de V. S. l. fin. ff. pro emptor. l. qui
à quolibet 27. ff. de contrah. emptio. Et quamvis hæc di-
visio à priori diversa esse videatur, in primis propter cre-
ditorem & cum qui precario rogavit: nam creditor ha-

A 3.

bet.

habet quidem scientiam rei alienæ, & tamen justè possidet: *l. si servus 22. §. 1. ff. de Noxalib. actionib. l. quæcunq. 13. §. 1. ff. de public. in rem action.* Itidem qui precario rogavit habet scientiam rei alienæ, & tamen respectu dantis atq; accipientis justè possidet. *d. l. si servus & d. l. quæcunq. l. communi 7. §. inter 4. ff. commun. dividund.* attamen justa possessio & bonæ fidei, sic & injusta possessio & malæ fidei promiscuè usurpantur.

VII.

Naturalem & civilem possessionem quod attinet, non ita distinguimus, quod naturalis possessio sit, quando quis rem corpore possidet, & civilis, quando quis rem possidet animo: prout distinguit Glossa. Neq; ita, ut vulgus interpretum, quod naturalis possessio sit injusta, & civilis justa, Sed possessio naturalis est, quando quis rem possidet, sive justè sive injustè, sed non animo, opinione, cogitatione domini, non jure dominij. Civilis possessio est, quando quis rem ex justâ causâ possidet, sed animo, opinione, cogitatione domini, sive jure dominij *d. l. si servus 22 §. 1. ff. de Noxalib. action. d. l. quæcunq. 13. §. 1. ff. de public. in rem action. l. apud antiquos pen. ibi cum igitur bonæ fidei possessor domini cogitatione furem possidet. C. de furtis & serv. corr. l. 3. §. fin. ff. Ad exhibend. l. qui legatorum. 2. §. quod vulgò respondetur. 1. ff. pro hered. vel pro possessor l. 1. §. de jicitur 9. & §. deniq; 10. ff. de vi & de vi armat. l. possessio. 49. §. qui in alienâ. 1. ff. h. t. l. stipulatio ista 38. §. hæc quoq; 7. & §. planè 8. ff. de V. O.*

VIII.

Acquiritur omnis possessio animo simul & corpore, *l. quemadmodum 8. l. possideri. 3. §. & apiscimur. 1. ff. h. c. l. ferè 153. ff. de R. J. neq; per se animo, aut per se corpore: alteru-*

alterutrum enim ad acquirendam possessionem non
sufficit, d. l. 3. §. 1. ff. h. t. d. l. 3. §. Neratius & Proculus 3. §.
in amittendâ 6. l. qui universas. 30. §. quod per colonum. pen. ff.
Eod. Hinc qui jure familiaritatis amici fundum ingredi-
tur non videtur possidere, quia non eo animo ingressus
est, ut possideat, licet corpore in fundo sit, l. qui jure
familiaritatis 41. ff. h. t.

IX.

Non ita tamen corpore & animo acquiritur, ut qui
fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet:
sed sufficit quamlibet partem ejus fundi introire; dum
mente & cogitatione hac sit, uti totum fundum usque
ad terminum velit possidere, d. l. 3. §. 1. ff. h. t. Quod si
itaq; plures sint fundi, per unius ingressum possidendi
animo factum, ingrediens, omnium fundorum posses-
sionem consequitur, dummodò reliqui fundi, sub illo,
quem quis ingressus est, tanquam partes contineantur,
arg. d. l. 3. §. 1.

X.

Licet verò neque per se animo, neque per se corpo-
re possessio acquiri possit, attamen solo animo retineri
potest l. 3. §. sed & si animo 7. & §. saltus hibernos 11. l. clam
possidere 6. §. qui ad nundinas 1. l. quod meo 18. §. si dum in aliâ
pen. l. si id quod 25. §. quod autem fin. l. qui universas 30. §.
quod per colonum pen. l. peregrè 44. in fin. l. quamvis 46. in fin.
ff. h. t. l. licet 4. C. Eod. l. 1. §. quod vulgò 25. ff. de vi & de
vi armat. §. possidere 5. inst. de interdict.

XI.

Et cum corpus atq; animus de necessitate ad omnem
possessionem requirantur, ideoq; personæ illæ, quæ ani-
mum & intellectum non habent, possidere nequeunt.

Hinc

XII.

Hinc furiosus sine curatoris auctoritate non potest incipere possidere *l. 1. §. furiosus 3. ff. h. t. cum furiosi nullus sit animus, nulla voluntas l. furiosi 40. l. in negotiis 5. ff. de R. I.*

XIII.

Sed an cum curatoris auctoritate possessionem inchoare furiosus possit, quæstio in utramq; partem agitari solet, negativam veriorẽ esse putamus argum. *d. l. in negotiis 5. l. 1. §. 3. ff. h. t.*

XIV.

Acquisitam tamen possessionem ante furorem furiosus in ipso furore retinet *l. si is qui animo 27. ff. h. t. d. l. 1. §. 3. ff. Eod.*

XV.

De pupillo quæritur, ane possessionem acquirat cum tutoris vel absq; tutoris auctoritate: Et Paulus Jurisconsultus illud addit opinioni Ofilij & Nervæ filij, pupillum etiam sine tutoris auctoritate possidere incipere posse, si modò ejus ætatis sit, ut intellectum capiat: reliquos v. pupillos, qui ejus ætatis sunt, ut intellectum non capiant, non nisi cum tutoris auctoritate possessionem acquirere *l. 1. §. furiosus 3. ff. hic.* Sed rursus quæritur ejus ergò ætatis pupilli esse debeant, ut intellectum capiant: Ubi distinguendum inter pubertati proximum, infantia proximum, & infantem. *§. sed quod diximus 9. inst. de inutilib. stipul.* Pubertati proximus dicitur, qui nondum peruenit ad pubertatem (nempe ad annum decimum quartum, ita enim consideratur pubertas in masculis *pr. inst. quibus mod. tutel. finitur l. ult. C. quando tutor. vel curator. esse desinant.*) propè tamen
cam

eam est, ita ut tantum annale vel semestre tempus reli-
quum sit. Proximus infantia est, qui jam infantiam
excessit, nimirum annum septimum. Infans dicitur usq[ue]
ad annum septimum *l. si infanti 18. pr. C. de jur. deliberan-
di, l. 1. §. sufficit 2. ff. de administrat. & pericul. tutor. & cu-
rator.* Quod itaq[ue] attinet ad pubertati proximum, illum
etiam absq[ue] tutoris auctoritate possessionem inchoare
posse, extra omnem dubitationis aleam positum est,
idq[ue] satis patet *ex d. l. 1. §. 3. & ex l. quamvis 32. §. infans. fin.
ff. b. t.* Idem quoque dicendum erit de infantiae proxi-
mo: Nam in proximis infantia propter utilitatem eo-
rum benignior juris interpretatio facta est, ut idem ju-
ris habeant, quod pubertati proximi *d. §. Sed quod dixi-
mus. 9. inst. de inutilib. stipulat.* Infans verò non aliter
possidet, quam cum tutoris auctoritate: nam iudicium
infantis suppletur auctoritate tutoris *d. l. quamvis 32.
§. infans fin.*

XVI.

Quod traditum est, ad acquirendam possessionem
corpus & animum desiderari, illud non solum de no-
stro, sed etiam de alieno corpore intelligi debet, ut ani-
mo nostro, & corpore acquiratur alieno.

XVII.

Corpore alieno possessionem adipiscimur non so-
lum per personas sub potestate nostrâ constitutas, utpu-
ta per filium & servum, sed etiam per personas extra-
neas potestati nostrâ non suppositas *l. possessio. 1. §. item
acquirimus. 5. & sequentib. §. per procuratorem 20. ff. b. t.*

XVIII.

Et hoc aded verum est, ut personæ sub potestate,
patria & dominicâ constitutæ, possessionem Parentibus

B

& Do-

& Dominis non solum acquirant scientibus, sed etiam ignorantibus. Quod an in causa peculiari tantum, an verò etiam in qualibet causa locum habeat, in controversiam venit: Sed illud in causa peculiari solum obtinere, in alijs verò causis, Parentibus & Dominis, non nisi scientibus & volentibus possessionem acquiri statuimus, per l. 1. §. item acquirimus s. l. possideri 3. §. cæterum 12. l. quidquid filius 4. l. peregrè 44. §. quæsitum est. 1 ff. h. e. l. Labeo 8. pr. ff. Eod. l. nunquam 31. §. si servus 3. ff. de usurpat. & usucap. l. si emptam antepen. ff. Eod.

XIX.

Quapropter ex causa peculiari & infans & furiosus acquirunt possessionem. alleg. l. 1. §. item acquirimus s. in fin. l. si seruo furiosi 28. ff. de usurpat. & usucap.

XX.

Nec solum per servos sub potestate nostrâ constitutos possessio nobis acquiritur, verum etiam per servos alienos, & liberos homines, quos in potestate quidem non habemus, sed tamen bonâ fide possidemus, si videlicet quid ex re nostrâ vel ex operis suis acquisierint. §. de iis autem servis 4. inst. per quas person. cuiq̄ acquirit, cit. l. 1. §. sed & per eum. 6. ff. hic. Si verò filius ab aliquo bonâ fide possideatur, possessionem omnem Patri acquirit, nihil bonæ fidei possessori. l. quidquid 4. ff. h. e. l. per eum 50. pr. ff. Eod. l. iusto errore 44. pr. ff. de usurpat. & usucap.

XXI.

Similiter per servum in quo usumfructum habemus, possidere possumus, si acquirat ex re nostrâ vel ex operis suis d. §. de iis autem servis 4. inst. per quas person. cuiq̄ acquirit, d. l. 1. §. per eum s. l. possessio 49. pr. ff. h. e.

Quid

XXII.

Quid si Servus sit communis, tum unicuique Domi-
 norum pro parte illâ possessionem acquirit, quam in
 servo habet, *l. communis servus. 45. in fin. ff. de A. R. D.*
 Nam servus communis sic omnium est, non quasi sin-
 gulorum totus, sed pro partibus utique indivisis, ut intel-
 lectu magis partes habeantur, quam corpore, *l. servus
 communis 5. ff. De stipulat. servor.* Sed si hoc agat servus,
 ut uni Dominorum possessionem acquirat, tum illi in
 solidum acquirit, *alleg. l. 1. §. per communem 7. ff. hinc.* Item
 quid si servus ex re alterius Dominorum adquisierit,
 hoc casu utriusque Dominorum quidem acquirit pro parte;
 quam in servo habet, sed communi dividendo iudicio
 id totum illi præcipuum servatur, ex cuius re quæsitum
 est. Nam bonæ fidei convenit, ut unusquisque præcipuum
 habeat, quod ex re eius servus adquisierit, *d. l. communis
 45. l. communis servus. 24. ff. commun. dividundo.*

XXIII.

At quid dicemus de servo fugitivo, & de servo pi-
 gnori dato, nunquid per eos quoque possessionem acqui-
 rimus? Et earum rerum, quas servus noster, qui in fugâ
 est, comparavit, nobis acquiri possessionem, si modò à
 nullo alio possideatur, & si non iudicium liberale pati
 paratus sit, diuque in libertate commoratus fuerit, *d. l. 1.
 §. per servum 14. l. per eum 50. §. per servum. 1. l. possideri 3. §.
 si servus quem possidebam. 10. ff. h. t. l. si is qui pro emptore 15.
 §. 1. ff. de usucap.* Rerum verò per servum pignori datum
 acquisitarum, neque debitor neque creditor possessionem
 nanciscitur, *d. l. 1. §. per servum corporaliter.*

XXIV.

Per servum hereditarium quoque veteres putaverunt, non posse nos acquirere, quod sit ejusdem hereditatis, *cit. l. possessio i. §. veteres 16. ff. h. c. l. heres. 43. ff. de acquir. vel omittend. heredit. l. per hereditarium servum 18. ff. de acquir. rer. dominio: quæ tamen regula longius producenda non est: Et ideo neque ad servum legatum, emptum, donatum, neque ad servum communem extenditur, d. l. i. §. veteres putaverunt. 16. §. si ex parte 17. §. idem dicendum est 18. l. qui absenti. 38. §. si is qui Titio fin. l. prælia 48. ff. h. t.*

XXV.

Per servum quoque municipiorum Municipia & Municipales possessionem acquirunt: & quidem non solum earum rerum, quas servi peculiariter, *l. i. §. ult. ff. h. t.* Sed etiam earum, quas non peculiari nomine acceperunt, *l. 9. §. ult. cum l. seq. ff. de public. in rem act.* Nec tantum per servum possident, sed etiam per liberam personam, nimirum per actorem municipiorum, *l. sed hoc jure 2. ff. h. t.* Et hæc ita ex utilitate recepta sunt, licet secundum subtilitatem juris aliud esset dicendum. Prævaluit utilitas neglectâ subtilitate; *d. l. i. §. ult. & d. l. 2.*

XXVI.

Et hæc quæ de liberis & servis sub potestate constituti diximus, ita se habent, ut possessio non alio modo per prædictas personas Parentibus & Dominis acquiratur, nisi hæc duo requisita simul concurrant: Primò ut habeant intellectum possidendi *d. l. i. §. ceterum & ille per quem. 9.* Secundò si eâ mente sint, ut velint. Parenti-

rentibus & Dominis suis, non verò alij cuiquam acquirere, *d. l. i. §. hæc quæ de servis diximus. 19. ff. h. t.*

XXVII.

Primum requisitum quod attinet: Si quis filium vel servum furiosum miserit, ut possideret, nequaquam videtur apprehendisse possessionem: quod si impuberem miserit ad possidendum, incipiet possidere, si impubes ille intellectum capiat, *d. §. ceterum & ille per quem 9. §. & idè si furiosum. §. quod si impuberem junct. l. furiosus. 3. alleg. l. i.*

XXIIX.

Secundum requisitum eò tendit, si jubeas filium vel servum tuum possidere, & is eo animo intret in possessionem, ut nolit tibi, sed potius Titio acquirere, non est tibi, sed Titio adquisita possessio, *d. l. i. §. hæc quæ de servis diximus 19. l. si me vacuum 34. §. servus ult. ff. h. t.*

XXIX.

Et hætenus de personis sub potestate patriâ & dominicâ constitutis; operæ pretium est, ut jam quoque subijciamus, quomodo per extraneam personam possessio acquiratur: quod fit per procuratorem, tutorem, & curatorem, *§. ex his itaq; apparet 5. inst. Per quas person. cuiq; acquirit. d. l. possessio. 1. §. per procuratorem. 20.*

XXX.

Sicut autem filius & servus Patri & Domino non aliter possessionem acquirit, nisi eo animo sit, quod eam Patri aut Domino acquirere velit, ita quoque Procurator suo Domino non aliter acquirit, nisi & ille eo animo sit, quod eam Domino velit acquirere, *d. l. i. §. per procuratorem 20.* In possessione enim acquirendâ semper animus acquirentis consideratur, licet secus obtineat.

neat in dominiò, ubi animus tradentis attenditur, *l. qui mihi donatum. 13. ff. de Donation. l. per servum. 37. §. ult. ff. de A. R. D.*

XXXI.

Neque solum Domino scienti per procuratorem possessio acquiritur, sed etiam ignoranti, quamvis usucapio non nisi scienti competat, *l. per liberam. 1. C. de acquir. & retinend. possess. l. possessio 49. §. et si possessio fin. ff. Eod. d. §. ex his itaq; apparet. 5. inst. Per quas person. cuiq; acquirit. l. si emptam antep. ff. & usurpat. & usucap.*

XXXII.

Et hæc acquisitio possessionis, quæ fit per procuratorem, indubitate procedit, quando Procurator speciale habet mandatum: An verò generale mandatum sufficiat, in controversiam deducitur: sed hoc sufficere, patet ex citat, *l. 1. §. per procuratorem. 20.*

XXXIII.

Hoc generale mandatum ita sufficit, ut etiam præterea nulla cessio Procuratoris desideretur: sed directò acquiritur possessio Domino per Procuratorem absque ullâ cessione, ministerio ipsius Procuratoris, *l. quod meo. 18. pr. ff. h. t.*

XXXIV.

Quod si mandatum nullum sit interpositum, & aliquis sua sponte nostro nomine ingrediatur possessionem; acquireret & hic nobis, sed tunc cum ratum haberimus, quod nostro nomine gestum est, *l. communis servus 42. §. Procurator. 1. ff. h. t.*

XXXV.

Per tutorem quoque & curatorem etiam ignorantibus nobis, nec quidquam mandantibus possessio acquiritur.

quiritur, l. 1. §. per procuratorem. 20. ff. h. t. l. 3. C. Eod. l. euzor. 27. ff. de Administrat. & pericul. tutor. & curator.

XXXVI.

Necq̄ solūm possidemus per Procuratorem, Tutorem, & Curatorem: sed sunt & aliæ extraneæ personæ, per quas possidere solemus: non quidem ut possessionem per eas adipiscamur, sed ut antea acquisitam per illas personas retineamus: Ita locator possidet per conductorem, sive per colonum & inquilinum: commodans per commodatarium: Deponens per depositarium, §. possidere. 5. inst. de interdict. l. possideri 3. §. si quis nuntiet. 8. & §. caterum 12. l. si quis ante 10. l. qui bonâ fide 19. pr. l. interdum. 21. §. qui alienam ult. l. si id quod 25. §. & per colonos 1. ff. h. t.

XXXVII.

Cum verò sequestratio sit species quædam depositi l. ei apud quem 5. §. 1. l. propriè 6. ff. deposit. l. propter instrumenta 5. C. Eod. incidit quæstio, an sequester rem sequestratam possideat? Et sequestrum possidere dicendum est, modò si eâ mente fiat sequestratio, ut possessio de quâ controversiâ existit, dimittatur: aliàs sequester non possidet, cum custodiæ causâ tantum ei res commissa videatur l. interesse 39. ff. h. t.

XXXVIII.

Et hoc quidem, quod locator sive Dominus possideat per colonum & inquilinum, tunc nullâ dubitatione habet, cum colonus & inquilinus adhuc sunt in possessione: Sed quid si mortuus fuerit colonus, inquilinus, vel servus, vel de possessione discesserit, vel etiam furere cœperit: an Dominus nihilominus retineat possessionem, quæstionis est? Et, sanè animo nihilominus
reti-

retinebit possessionem *l. possideri. 3. §. si quis nunciet 8. ff. h. t.*

XXXIX.

Illud notandum est, si conductor rem conductam alij rursus locaverit, vel commodatarius rem commodatam alij commodaverit, vel depositarius rem depositam apud alium rursus deposuerit, quod tamen is qui primò locavit, commodavit, vel deposuit, possessionem semper retineat. *l. qui universas 30. §. si ego tibi fin. ff. h. t.*

XL.

Cæterum non solum per colonum & inquilinum, commodatarium, depositarium possessionem retinemus, sed etiam per quemlibet, qui nostre nomine in possessione est *l. generaliter 9. ff. h. t.* Nam possidet is, cuius nomine possidetur *l. quod meo 18. pr. ff. Eod.*

XLI.

Hinc propriarius possidet per usufructuarium, Usufructuarius non possidet, sed est saltè in possessione. Jus utendi fruendi Usufructuarius quasi possidet. *l. possessio 1. §. per eum 8. ff. h. t. l. adquiruntur 10. §. fin. ff. De adquirend. rer. dom. §. de iis autem servis 4. v. fructuarius inst. per quas person. cuiq; acquirit. l. 1. §. ult. ff. de oper. novi nunciat. l. celsus 5. §. Julianus 1. ff. Ad exhibend. l. certè 6. §. is qui rogavit 2. ff. de precar. l. sciendum pen. §. 1. ff. qui satisdar. cogantur l. in hac actione 3. §. Pomponius 12. ff. Ad exhibend. l. cujuscunq; 60. §. Si fundus 1. ff. de usuf. & quemadmod quis utat fruatur. l. ait Prætor. 23. §. item ei 2. ff. Ex quib. caus. major. 25. annis l. 3. §. pen. ff. de vi & de vi armat.*

XLIII.

Is etiam qui precario concessit possidet per precario

riò

riò rogantem, modò precariò rogans ita rogavit, non ue
possideret, sed ut precariò in fundo moretur, *l. cerrè 6.*
§. is qui rogavit. 2. ff. de Precario. Aliàs possidet is qui
precariò rogavit, *l. quæcunq. 13. §. 1. ff. de Publician. in*
rem action. l. si servus. 22. §. 1. ff. de Noxalib. action. l. in rebus
4. §. meminisse 1. l. & habet 15. §. ult. ff. de Precar. l. Pompo-
nus. 13. §. si is qui precariò 7. ff. hïc.

XLIII.

Debitor quoque rem oppignoratam possidet per
creditorem, nempe quoad usucapionem, *l. 1. §. per servum*
15. l. qui pignoris. 36. ff. hïc. l. qui pignori 13. l. servi nomine 16.
ff. de Usurpat. & Usucap. Aliàs possidet creditor *l. cum*
& sortis 37. §. pignus. fin. l. si pignus. 37. l. debitor 40. §. ult. ff.
de pignoratit. action. vel contr. l. per servum. 37. pr. ff. de ad-
quir. rer. domin.

XLIV.

Adeò autem quoad usucapionem possidet debitor,
ut quamvis rem oppignoratam precariò à creditore ro-
gaverit, nihilominus eandem possideat: cum enim pos-
sessio creditoris usucapionem non impedit, multò mi-
nus precarij rogatio eam impedire debet, *d. l. qui pignoris*
36. ff. hïc.

XLV.

Dispiciendum erit de rebus, quæ possideri possunt.

XLVI.

Possideri autem possunt res corporales: *l. possideri 3.*
pr. ff. h. r. & mobiles & immobiles l. Pomponius. 13. pr. l.
rem quæ nobis 15. l. si de eo fundo 40. pr. l. si rem mobilem 47. l.
prædia. 48. ff. Eod. Incorporales res possideri nequeunt
tot. tit. inst. de reb. corporal. & incorporalib. l. 1. in fin. ff. de di-
vis. rer. & qualitat. l. servus 43. §. incorporales, 1. ff. de A

C

R. D.

R. D. Sed usus habetur loco possessionis *l. quoties fin. ff. de servit.*

XLVII.

Non tamen omnes res corporales possessionem admittunt: multæ enim sunt res, quæ quamvis corporales sint, tamen possideri non possunt, illæ videlicet, quæ commercio hominum sunt exemptæ, ut sunt res sacræ, religiosæ, *l. qui universas. 30. §. possessionem 1. ff. hinc. liber homo d. l. qui universas 30. §. 1. l. cum heredes. 23. §. item quæro fin. ff. h. t. forum & basilica, l. 1. §. Municipales ult. ff. Eod.* Insuper & liberi potestati parentum subjecti à parentibus possideri nequeunt, *d. l. 1. §. per eum 8. ff. hinc.*

XLVIII.

Inter res, quæ possideri nequeunt, referendæ quoque sunt res singulæ, quæ sunt in ædificio: Universas quidem ædes possidemus, at singulas res, ex quibus ædes constant, non possidemus. Similiter à quo navis & armarium possidetur, non singulæ tabulæ, ex quibus navis atque armarium fabricatur, possidentur. *l. qui universas 30. pr. ff. hinc. l. eum qui ædes 23. ff. de usurpat. & usucap.*

XLIX.

Ut verò res corporales possideantur, necesse est, ut illæ res certæ sint: Res certa possideri potest pro diviso & pro indiviso: Incerta res possideri nequit: veluti si hac mente sis, ut quidquid Titius possidet, tu quoque velis possidere, vel si ita tradam tibi, Quidquid mei juris in eo fundo est, *l. possideri 3. §. incertam partem. 2. l. locus certus 26. l. si quis fundum. 43. pr. ff. h. t. l. si fur. 32. §. incertam fin. ff. de usurpat. & usucap.*

L.

Et non solum res quæ possidentur, certæ esse debent,

bent, sed etiam alijs possessoribus vacua. Ideoq̄ plures eandem rem in solidum possidere non possunt, *l. possideri 3. §. ex contrario 5. ff. h. t.* Sicut & plures ejusdem rei non possunt esse in solidum domini, *l. si ut certo 5. §. si duobus fin. ff. Commodat. vel coner.*

L I.

Quod ita extenditur, ut nec plures in solidum possint possidere civiliter, neq̄ plures naturaliter: nec unus civiliter, alter naturaliter: nec unus iuste, alter iniuste *d. l. possideri 3. §. ex contrario 5. ff. h. t. l. duo 19. pr. ff. de precar.*

L II.

Ex contrario tamen unus eandem rem possidere potest ex plurimis causis: dominium verò non nisi ex unâ causâ contingere potest, *d. l. possideri 3. §. ex plurimis causis 4. ff. h. t. l. 1. ff. pro suo.*

L III.

Sed ita eandem rem ex plurimis causis rectè quis possidet, modò ipse sibi causam possessionis non mutet: Est enim regula juris antiqui neminem sibi ipsi causam possessionis mutare posse, *l. 3. §. illud quoq̄ à veteribus 19. ff. h. t. l. cum nemo 5. C. Eod.* Causam a possessionis sibi mutare is dicitur, qui & corpore & animo possessioni incumbens, hoc solùm statuit, ut aliâ ex causâ eandem rem possideret, *l. qui bonâ fide 19. §. quod scriptum est 1. ff. h. t.* Et hæc veterum definitio non tantùm ad Civilem, sed etiam ad Naturalem possessionem pertinet *l. 2. §. quod vulgò responderet 1. ff. Pro hered. vel pro possessor l. 1. §. fin. ff. Pro donat. l. certè 6. §. Julianus 3. & l. ult. pr. ff. de Precar.*

L IV.

Restat, ut subjiciamus, quomodò possessio amittatur.

C 2

Amit-

L V.

Amittitur autem possessio vel invito, vel consentientibus nobis. Invitis nobis amittitur aut mutata conditione rei possessæ : aut mutata conditione personæ possessoris, aut amissa naturali tenendi facultate, & ipsâ detentione rerum tam immobilium, quam mobilium. Consentientibus nobis amittitur vel animo tantum, vel animo & corpore.

L V I.

Conditio rei possessæ mutatur, quando ex loco profano efficitur locus sacer aut religiosus, aut ex servo liber homo, vel quando res in aliam speciem transfertur, ut si ex lanâ factum sit vestimentum *l. qui universas 30. §. possessionem 1. & §. item quod mobile est 4. ff. hic.*

L V I I

Conditio personæ possessoris mutatur, quando is qui possidet in alterius potestatem pervenit, ut si ab hostibus quis captus fuerit *d. l. qui universas 30. §. item quod maris 3. l. cum heredes 23. §. in his qui in hostium t. ff. b. t. l. deniq. 19. ff. Ex quibus caus. major 25. annis.* Nec possidere intelligitur, qui ipse possidetur *d. l. cum heredes 23. §. 1. l. homo liber 54. §. ult. ff. de A. R. D.* Item mutatio illa contingit, quando possessor rebus humanis exemptus est. Cum enim mors omnia solvat, ideoq; & voluntas, sine qua possessio esse nequit, morte finitur, *l. 4. ff. Locat. conduct. l. si ita legatum sit 67. §. illi si volet. 1. ff. de legat. 1.*

L V I I I.

Et adeò morte tollitur possessio, ut nec ad heredem transeat, antequam heres corpore & animo apprehenderit, quod defunctus possedit *l. cum heredes 23. pr. ff. b. t. l. qui*

l. qui universas 30. §. quod per colonum pen. ff. Eod. l. 1. §. Scævola 15. ff. Si is qui testament. liber esse iussus.

LIX.

Quamvis verò nonnulli distinguant inter heredes extraneos, qui dicuntur hereditatem adire §. *extraneis 5. inst. de hered. qualitat. & different* Et inter suos heredes, qui potius immiscere se bonis hereditariis dicuntur *d. §. extraneis & vivo patre quodammodò domini existimantur, §. sui 2. inst. De hered. qualitat. & different. l. in suis 11. ff. De liber. & posthum. heredib. institueud.* attamen non solum in extraneis, sed etiam in suis heredibus apprehensionem esse necessariam statuimus *l. possideri 3. §. & apiscimur 1. l. quemadmodum 8. ff. hinc l. ferè 153. ff. de R. F.*

LX.

Regredimur ad amissionem possessionis, quæ fit per detentionem rerum immobilium & mobilium. Berinetur res immobilis vel à flumine aut mari, vel ab hominibus, vel etiam magistratus auctoritate. A flumine aut mari: ut si prædium meum flumen aut mare occupavit, vel inundatum sit, tum enim possidere desino, *l. possideri 3. §. labeo 17. ff. h. t. l. cum unus 12. §. si propter naturam. fin. ff. de reb. auctorit. judic. possid.* Ab hominibus, quando quis de fundo suo vi dejectus est. Dicimur autem vi dejectus, cum revertentes nos aliquis repellit, aut nos ita desinimus animo possidere, quod suspicemur repelli nos posse ab eo, qui ingressus est possessionem, *l. si id quod 25. §. quod autem ult. l. possideri 3. §. si quis nunciet 8. h. clam possidere 6. §. qui ad nundinas 1. l. & si nolit. 7. ff. hinc.* Magistratus auctoritate: ut si quis ex secundo decreto à Præatore missus fuerit in possessionem, tunc enim pos-

seffor efficitur, & alter invitus possidere desinit; *l. qui
universas 30. §. item cum Prætor. 2. ff. hęc.*

LXI.

Amisio possessionis, quæ fit per detentionem rei mobilis, fit furto & rapinâ. Nisi is, qui in potestate nostrâ est, rem quam possidemus, nobis furto vel vi abstulerit, tunc enim quamdiu apud ipsum sit res, tamdiu possessionem non amittimus *l. rem quæ nobis 15. l. si de eo, 40. pr. ff. h. c. l. naturaliter 5. ff. de usurpar. & usucap.*

LXII.

Aliter quoque amittitur naturalis tenendi facultas, & ita consequenter possessio, nimirum per fortuitam subductionem. Est autem fortuita subductio, quando sine rapinâ, aut furto, & omnino sine alterius cujusquam occupatione, casu ita subducitur res custodiæ & potestati nostræ, ut ejus non possimus naturalem possessionem nancisci, cum velimus.

LXIII.

Quare si pecus nostrum aberraverit; si vas ita exciderit, ut non inveniatur; protinus amittitur possessio, quamvis à nullo possideatur. *l. possideri 3. §. Nerva filius 13. ff. hęc.*

LXIV.

Hinc si depositarius rem depositam, vel commodarius rem commodatam contrectaverit, & sibi possidere neq; reddere constituerit, commodans & deponens confestim amittit possessionem, quia res jam desit esse sub custodiâ ejus. *l. si rem mobilem 47. d. l. 3. §. si rem apud te depositam 18. ff. hęc.*

LXV.

Feras bestias quoq; quæ in sylvis circumseptis vagantur,

gantur, & pisces, qui in stagno nostro sunt, ideo non possidemus, quia non sunt sub custodia nostrâ. Aves tamen possidemus, quæ caveis nostris inclusæ sunt, aut si quæ mansuetæ factæ custodiæ nostræ subiectæ fuerint. Item pisces, qui in piscinis nostris sunt, & feras bestias, quæ vivariis nostris inclusæ tenentur, possumus enim naturalem possessionem nancisci, cum velimus *d. l. possideri 3. §. item feras bestias 14. & §. aves 15.*

LXVI.

Ea etiam animalia, quæ ex consuetudine abire & redire solent, tamdiu possidemus, quamdiu revertendi consuetudinem retinent, cum proposito redeundi, domino possessionem conservent: quando verò revertendi consuetudinem derelinquunt, tunc statim amittitur possessio *d. l. 3. §. quidam rectè putant 16. ff. hinc cum & dominium amittatur §. pavonum 15. inst. D. R. D. & A. J. D. l. 5. §. pavonum 5 ff. de A. R. D.*

LXVII.

Ita & servus fugitivus, & qui in provinciâ est, proposito redeundi, Domino possessionem sui conservat. *l. Pomponius 13. pr. l. rem quæ nobis 15. l. si rem mobilem 47. ff. h. t.*

LXVIII.

Et hæctenus, quomodo invitis nobis possessio tollatur, subjiendum jam erit, quomodo illa amittatur nobis consentientibus. Consentientibus autem nobis amittitur, vel corpore & animo simul, vel animo tantum.

LXIX.

Corpore & animo simul, ut si quis & animum possidendi derelinquit, & simul quoque corpore discedit ab ipsâ possessione, *l. quemadmodum 8. ff. h. t. l. ferè 153. ff. de R. I.*
Animo

LXX.

Animo tantum, ut si quis corpore in fundo quidem sit, & tamen nolit eum possidere *l. 3. §. in amittenda 6. ff. h. r. l. si me in vacuum 34. pr. l. peregrè 44. §. quibus explicitis fin. ff. Eod.*

LXXI.

Ita tamen solo animo possessio amittitur, si quis pure animo possessionem amittat: ut si possideat, & nolit amplius possidere, nullâ plane conditione adjunctâ, statim hoc ipso, quod non vult possidere, amittit possessionem *d. l. 3. §. in amittendâ 6.* Et nihil refert, an alius sit nactus illam, nec ne. Quinimò etiam si quis non transferat possessionem in alium, nihilominus eam dimittit, & perdit, *l. quod meo 18. §. si furioso 1. l. 1. §. si vir. 4. ff. h. r.*


LXXII.

Quod si sub conditione quis recedat de possessione, non statim illam amittit, sed tunc demum cum existit conditio: ut enim res traduntur sub conditione, & tunc accipientium fiunt, cum existit conditio, ita & possessiones sub conditione tradi possunt, neque aliter accipientis fiunt, quàm si extiterit conditio *l. qui absenti 38. si quis possessionem 1. ff. h. r.*

LXXIII.

Coronidis loco subjicimus, an possessio sit facti vel juris, eam plurimum facti habere, plurimum quoque ex jure mutuari statuendum erit, *l. denique 19. ff. Ex quib. caus. major. 25. annis 1. possessio 49. pr. ff. h. r. l. 1. pr. §. furiosus 3. §. si vir 4. ff. Eod. l. bonæ fidei emptor. 48. §. 1. ff. De A. R. D. l. 1. §. Scævola 15. ff. Si is qui testam. liber esse jus.*

☞ (o) ☞



qui in stagno nostro sunt, ideo non
non sunt sub custodia nostra. Aves
, quæ caveis nostris inclusæ sunt, aut
actæ custodiae nostræ subiectæ fuerint.
in piscinis nostris sunt, & feras bestias,
is inclusæ tenentur, possumus enim
ionem nancisci, cum velimus *d. l. pos-*
s bestias 14. & S aves 15.

LXVI.

malia, quæ ex consuetudine abire &
diu possidemus, quamdiu revertendi
tinent, cum proposito redeundi, do-
no conferent: quando verò revertendi
relinquunt, tunc statim amittitur
quidam recte putant 10. ff. hic cum & do-
S. pavonum 15. inst. D. R. D. & A. J. D.
de A. R. D.

LXVII.

igitivus, & qui in provinciâ est, propo-
omino possessionem sui conservat. *l.*
em qua nobis 15. l. si rem mobilem 47. ff. h. t.

LXVIII.

quomodo invitis nobis possessio tolla-
jam erit, quomodo illa amittatur no-
us. Consentientibus autem nobis amit-
& animo simul, vel animo tantum.

LXIX.

nimo simul, ut si quis & animum pos-
sit, & simul quoque corpore discedit ab
quemadmodum 8. ff. h. t. l. ferè 153. ff. de R. I.
Animo